

Enarrata simplicium sylua, in quo liquore eadem sint decoquenda, explicandum est. Aqua igitur ut plurimum eligitur. Cum enim insipida sit, omnium vires optime admittit. Quod si vero magis sit refrigerandum, serum lactis caprini sumatur, quod per se intemperiem calidam & ventriculi & viscerum corrigere potest. Sin vero incidendum, attenuandum, detergendum, & febris non adsit, vel saltem febris lenta, hydromeliti incoquantur, & radices duæ, tres, quatuor vel quinque diuersæ, pari pondere sumuntur, herbarum totidem manipuli, semina item, flores & fructus. Sed radices pondere æstimantur, herbæ vero manipulis, flores pugillis, fructus numero, semina pondere rerum siccarum, pro apozematis quantitate æstimanda. Exempli gratia: Ad tres doses decocti radic. duarum aut trium satis erit singularum \mathfrak{z} β . sumere. Vbi vero multarum & plurium radic. penuria fuerit, aliorum ingredientium maior quantitas esse debet. Eadem ratio est herbarum, seminum & aliarum rerum, ita tamen, ut si radices sint arefactæ, cum efficaciores sint viridibus, minor earum sit quantitas. Contra cum virides, multo adhuc liquore scateant, minusque efficaces sint, harum quantitas augenda.

Aquæ autem aut liquoris, in quo incoquantur, quantitas, etsi communiter periti Pharmacopœi arbitrio relinquatur, tamen Medicum scire conuenit, in materia calida & acriuscula sextuplam aut octuplam, in recenti quadruplam aut sextuplam esse debere. Exempli gratia. Si pro \mathfrak{z} iiij tam radic. quam folior. & reliquor. iubeas fieri coctionem